



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XXIV. De censibus & procurationibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

De censibus & procurationibus.

Gregorius decimus in generali Concilio Lugdunensi. Exigit peruerforum audacia, vt non sumus sola delictorum prohibitione contenti, sed pœnam etiam delinquentibus imponamus. Constitutionem itaque felicitatis recordationis Innocentii papæ quarti prædecessoris nostri, editam super non recipiendis in pecunia procurationibus, & super receptione munerum visitantibus, eorumque familiis interdicta, quam multorum fertur temeritas prætereire, volentes inuiolabiliter obseruari, eam decreuimus pœnæ adiectione iuuandam: statuentes vt vniuersi & singuli, qui ob procurationem sibi ratione visitationis debitam exigere pecuniam, vel etiam a volente recipere, aut alias constitutionem ipsam recipiendo munera, siue visitationis officio non impenso procurationem in victualibus, aut aliquid aliud procurationis occasione violare præsumpserint, duplum eius quod receperint ecclesiæ, a qua id receptum fuerit, infra mensem reddere teneantur: alioquin extunc patriarcha, archiepiscopi, episcopi, duplum ipsum ultra prædictum tempus restituere differentes, ingressum sibi ecclesiæ interdictum sentiant. Inferiores vero ab officio & beneficio nouerint se suspensos; quousque de duplo huiusmodi grauatis ecclesiis plenariam satisfactionem impendant. Nulla eis in hoc dantium remissione, liberalitate, seu gratia valitura.